



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ

Pichler, Vitus

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXIII.

Art. III. An Papa, etiam extra Concilium Generale, sit legitimus
Controversiaru[m] fidei Judex?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39374

quod humanitus non facillè contingat, ut tot viri sapientissimi & probatissimi fallantur, & iniqua precipiant. Ad 2. Dist. Ant. ut subditi, qui suo Principi contulerunt jurisdictionem in se, possint se ab illo liberare, si malus sit. C. Ant. qui ipsi non contulerunt jurisdictionem. N. Ant. Ecclesia non confert Papæ jurisdictionem suam. Quid ergo superest Ecclesiæ, si criminolum nanciscatur Pontificem? R. debet confugere ad preces & opera sancta, ut DEUS pro sua Providentia & Clementia suc-

currat. Dein potest à Concilio, vel alijs, modestè admoneri, rogari, fratèrne corripì, & si Ecclesiæ damnosus sit, etiam coerceri jure defensionis: imò si vi, aut injustis legibus, aut alio modo niteretur nocere Ecclesiæ, posset etiam tanquam invasor armis repellì, & ipsi resisti jure naturali justæ defensionis, cum moderamine tamen inculpatae tutelæ, quia tali casu non potestati Papali, sed injustæ invasioni resisteretur.

ARTICULUS III.

An Papa, etiam extra Concilium Generale, sit legitimus Controversiarum fidei Judex?

SUMMARIUM.

- | | |
|---|---|
| 1. Certum est, dari debere in Ecclesia Judicem Controversiarum fidei. | in approbandis Religiosis Ordinibus, canonizandis Sanctis, censurandis propositionibus. |
| 2. Qui sit infallibilis, & summa potestate præditus. | 11. Et quam certa hæc sint. |
| 3. Papa considerari potest & debet ut homo privatus, & ut Rector Ecclesiæ, seu ex Cathedra loquens, quid hoc sit. | 12. Papa etiam extra Concilium est legitimus Judex Controversiarum in rebus fidei & morum. |
| 4. Papa ex Cathedra loquens (etiam extra Concilium) ferre potest leges totam Ecclesiam obligantes. | 13. 14. 15. Quid opponatur Pontifici potestati ad ferendas leges universales & in conscientia obligantes. |
| 5. Et infallibiles decisiones facere circa res fidei. | 16. Quid opponatur ejus infallibilitati in definiendis articulis fidei, ex ratione. |
| 6. Quod ostenditur ex Scriptura. | 17. Quid ex paritate cum alijs vitijs, in qua cadere potest Papa. |
| 7. Ex Traditione. | 18. Quid ex Scriptura. |
| 8. Et ratione. | 19. Quid ex rebus gestis Pontificum. |
| 9. Nec opus habet consensu Ecclesiæ. | 20. Quid |
| 10. An Papa sit infallibilis speciatim | 21. Quid |

R. P. Pichler Theol. Polemica,

Ccc

20. *Quid ex Jure Canonico.*21. *Quid ex contradictionibus appa-
rentibus Pontificum.*22. *Quid ex actis circa Forosum
Papam.*

1. Sciendum 1. Extra dubium apud omnes rectè sentientes esse 1. Quòd in Ecclesia debeat dari aliquis fidei controversiarum Judex, & quidem universalis, summa potestate instructus, infallibilis, & clarè ac ita ferens sententiam, ut à Partibus litigantibus percipi, & sciri possit, penes quam stet victoria. Si enim detulerit talis Judex, controversiæ fidei erunt immortales, in Ecclesia nihil erit certum & indubitatum, sed mera confusio, mera incertitudo, atque nulla fides Divina. 2. Quòd ejusmodi Judex non sit S. Scriptura, utpote de ejus existentia, integritate, puritate, ac præcipuè sensu præcipua est. Multò minus spiritus internus, utpote incertus, in diversis hominibus diversus, & monopolium omnium errorum; ut de Scriptura tractantes ostendimus. 3. Quòd Papa una cum Concilio Generali saltem sit ille Judex legitimus, memoratis dotibus instructus, patet ex dictis, cum major auctoritas in Ecclesia excogitari non possit, quàm Papa cum Concilio. Quæstio nunc est, ex priore orta, utrum Papa solus, & extra Concilium Generale, sit legitimus controversiarum fidei Judex.

2. Sciendum 2. Præcipuè hæc duas dotibus requiri in legitimo controversiarum Judice, potestatem supremam, & infallibilitatem. Nisi enim summa potestate præditus sit, facilè ejus auctoritas spernitur, nec leges ferre, carum-

que observantiam urgere efficaciter potest: nisi infallibilitate instructus sit, tutò & indubitato ei credi non potest: in rebus autem fidei vel maxime requiritur summa certitudo, & summa firmitas in credente. Loquimur autem potissimum de Potestate Jurisdictionis, & quidem Ecclesiasticæ externæ. Circa quam, uti & vel maxime circa infallibilitatem Pontificis

Sciendum 3. Papam dupliciter considerari. 1. ut est persona & Doctor privatus. 2. ut est persona & Doctor publicus, & Rector Ecclesiæ, sive ut aliquid ab omnibus credendum vel faciendum authoritative proponens, definiens, seu ex *Cathedra loquens*, ut vocamus. Porro ad hoc, ut Pontifex censeatur loqui ex *Cathedra*, ex communi sensu Doctorum requiruntur hæc tria. 1. ut intendat aliquid definire vel præcipere pro tota Ecclesia. 2. ut nihil intendat definire contra aliquem fidei articulum jam antecesserit definitum & factis revelatum. 3. ut non procedat temerè, sed rem prius diligenter discutiat, consultis etiam hominibus doctis, & implorato auxilio ac directione Divina. Notandum tamen hic est, quòd semper, quotiescunque Papa aliquid definire formaliter intendit ut Caput pro tota Ecclesia, præsumi debeat, illum adhibuisse debitam diligentiam, & nihil hæreticum definire; nisi certo & evidenter constaret contrarium. Aliàs enim impijs & pertinacibus semper
super

superesset effugium, & via eludendi definitiones Pontificias. Neque ad subditos spectat examinare actiones Superioris, multò minus Vicarij Christi.

4. Dico 1. Papa, etiam extra Concilium Generale, habet supremam potestatem obligandi totam Ecclesiam per Leges à se latis. Probatur 1. Christus promittens Petro claves Regni Cœlorum ad eum solum dixit in singulari: *quodcumque ligaveris super terram* &c. Mat. 16. Atqui *ligare* juxta Scripturam significat etiam leges ferre, & obligare: uti Mat. 23. Ergo Petrus accepit indefinitam potestatem ferendi leges & obligandi totam Ecclesiam, & quidem solus sine Concilio. Quod autem datum est Petro, datum intelligitur etiam Successoribus ejus, qui sunt Romani Pontifices. Prob. 2. In Antiqua Legge solus Sacerdos seu Pontifex Maximus habebat potestatem obligandi omnes Israëlitas: sed Caput Ecclesie non debet esse minoris auctoritatis, quam Caput Synagoge; ergo. M. constat ex Deuteron. c. 17. ubi sic dicitur: *qui superbiert nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* Prob. 3. Ille potest ferre leges pro tota Ecclesia, qui est legitimus Superior, & Rector totius Ecclesie: sed Papa, etiam extra Concilium, est legitimus Superior & Rector totius Ecclesie; quia est Christi Vicarius, omnes omnino oves sine ulla exceptione sibi habens commissas ab ipso Christo: ergo. Prob. 4. bonum Ecclesie exigit, ut semper possint salutes leges condi totam Ecclesiam obli-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

gantes: sed Concilium Generale non semper potuit, nec deinceps semper poterit convocari: ergo penes alium debet esse ista potestas; utiq; penes Papam. Confirmatur ex SS. PP. ex quibus S. Ign. ep. ad Trall. ait: *qui igitur iis (Romanis Pontificibus) non obedit, Athens profusus, & impius est, & Christum contemnit, & constitutionem ejus imminuit.*

Petes, an leges à Papa latis, etiam obligent in conscientia? R. haud dubie. Qui enim resistit Papæ, resistit DEO, cujus Papa est vicarius. *Qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi DAMNATIONEM* acquirunt. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam PROPTER CONSCIENTIAM.* Rom. 13. Si juxta Paulum omni Potestati (non enim est potestas nisi a DEO ibid.) parendum est propter conscientiam, & ne incurratur damnatio; vel maximè sic parendum erit Potestati Ecclesiastica.

5. Dico 2. Papa, etiam extra Concilium Generale, ex Cathedra loquens, est infallibilis. Intellige cum illa limitatione, quam de infallibilitate Conciliorum supra p. 374. statuimus. Scilicet infallibilem duntaxat dicimus in ijs, in quibus consistit ipsa definitio vel decretum, non in alijs, cujusmodi sunt argumenta, & probationes, quæ incidenter proponuntur, quaestiones facti particularis, circumstantie personarum, locorum &c. in decretis morum. Papa enim infallibilis est propter Ecclesiam, hoc est, ne tota Ecclesia incidat in errorem circa res fidei, & bonos mores. Neque dicas, si hoc sit verum, à nobis

Ccc 2

com-

committi circulum vitiosum; nam Papa est infallibilis propter Ecclesiam, ut hic dicimus; & Ecclesia est infallibilis propter Papam, ut nuper diximus, asserendo, totam Ecclesiam, in Concilio Generali congregatam, sine Papa nullius esse auctoritatis. Nam R. tō propter accipi in diverso genere causandi: quando dicimus, Papam esse infallibilem propter Ecclesiam, accipitur in genere causa finalis, ut sensus sit: Ecclesia utilitas, & immunitas ab errore, est finis, cur Papæ concessa sit infallibilitas. Contrā cum dicimus, immunem ab errore Ecclesiam esse propter Papam, accipitur in genere causa, efficientis, ut sensus sit, Papa est talis Rector Ecclesiae, qui eam facit & praestat infallibilem per suam infallibilitatem, intuitu Ecclesiae finaliter à Christo acceptam.

6. Probatum nunc assertio 1. ex Scriptura. Luc. 22. dicit Christus ad Petrum: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Specialiter hic notandum est, Christum capisse loqui in plurali, *expetivit vos*, postea verò mutata loquendi formā usū esse singulari, *rogavi pro te, fides tua, conversus confirma &c.* Ut scilicet indicaret, infallibilitatem Capiti, non membris, se petisse & impetrasse, ita ut Petrus etiam sine membris, adeoque sine Concilio, esset infallibilis & indeficiens in fide; non enim dixit, *rogavi pro vobis, sed pro te; Vos confirmate, sed tu confirma fratres.* Quod autem impetravit Petro, impetravit & ejus suc-

cessoribus; quia propter utilitatem Ecclesiae impetravit; Ecclesia autem semper indiget aliquo, qui eam infallibiliter confirmet in fide. Paterea quod Christus pro solo Petro ibi rogaverit, non pro tota Ecclesia, non solum patet ex ipso nomine Petrum designante *Simon Simon, pro te, tu &c.* Verum etiam quia dixit *conversus*; quod utique Ecclesiae convenire non potest, utpote quæ nunquam tota perverti, adeoque nec *converti* potest.

Confirmatur ex eo, quia Petrus à Christo constitutus est fundamentum Ecclesiae, & Pastor Universalis omnium fidelium. *Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Mat. 16. *Pasce oves meas.* Jo. 21. Vel ergo Ecclesia tenetur Petrum, & ejus successores sequi etiam extra Concilium docentes, vel non tenetur? Si tenetur; hoc ipso debent esse infallibiles; alias tota erraret Ecclesia: si non tenetur, tunc non amplius sunt Superiores, & Pastores Ecclesiae, sed umbra, & nil nisi inane nomen habentes.

7. Prob. 2. ex Traditione Apostolica, quam nobis testantur SS. Patres, & insuper Ecclesiae perpetua praxis, cum constet, per singula propè saecula, dum Synodus Generalis vel absolute vel commodè convocari non poterat, à solis Pontificibus fuisse damnatas haereses, & consequenter oppositas doctrinas pro fidei articulis definitas. Quippe post declarationem solius Papæ à reliqua Ecclesia vel pro haeresi vel pro fidei dogmate habita est doctrina, prout eam declaravit Papa. Sic primis tribus saeculis, in quibus non fuit ullum Con-

elium Generale, damnata à Pontificibus, & post postea à fidelibus ut tales habitæ sunt varia hæreses, v. g. Nicolaitarum, Marcianistarum, Montanistarum, Novatianorum &c. item Tertulliani & Origenis. In quarto sæculo Damnata est hæresis Joviniani à Siricio Papa in ep. 2. adversus Jov. In quinto hæresis Pelagiana, quæ ut loquitur August. toties victa toties pugna restituta tum demum prostrata est, ubi Romanus Pontifex se prælio miscuit. Atque sic de reliquis sæculis loquendo. Sed quod docet praxis Ecclesiæ, docent & testimonia Patrum. S. Anacletus, qui rexit Ecclesiam anno 101. ep. 1. sic loquitur. *Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro Primatum obtinuit. -- Quodsi difficiliore oria fuerint quæstiones, aut Episcoporum, aut Majorum judicia, aut majores cause fuerint, ad Sedem Apostolicam referantur: quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Salvatoris &c.* S. Julius anno 336. in epil. gemina ad v. s. Episc. Orientales in hunc modum scribit: *Conciliorum convocandorum iura & majores causas ad Sedem Apostolicam Evangelicis, Apostolicis institutis referri oportet. Id à Sanctis Apostolis, & Successoribus eorum, id à Nicæna Synodo definitum est.* Vid. plura ibi. Inter causas verò & quæstiones majores utique primæ sunt causæ fidei. S. August. l. 4. contra duas epp. Pelag. c. 12. ait: *Aut verò congregatione Synodi opus erat, ut aperta perniciet damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit:*

cum potius rarissima inveniatur, propter quas damnanda necessitas talis existerit. Ergo de Traditione Apostolica aperte testantur tum PP. tum Ecclesiæ praxis.

Prob. 3. Si Papa non est infallibilis extra Concilium, tunc non omni tempore datur infallibilis auctoritas in Ecclesia, imò sæpe dari moraliter impossibile est, cum non nisi rarissime & difficillimè atque immensis propè sumptibus cogi Concilia Generalia possint: atqui sic non esset satis provium Ecclesiæ, cum omni tempore oriri hæreses, & dubia circa res fidei nasci possint. Adde, quod, etsi convocarentur Concilia cum ingenti molimine, tamen non omnis excipiendi via obstrueretur perveris & refractarijs Christianis, & ferè æquale metuendum esset periculum, ne fortè dicerent: Concilium non esse Universale, liberum, legitimum, non omnia decreta esse conciliariter facta, scilicet præmissis diligenti examine, plurimum non interessatorum, ut loquuntur, suffragijs &c. Ergo ne tam facile eludatur omnis Ecclesiæ definitio, asserenda est Pontifici, etiam extra Concilium definiti, infallibilitas.

Quæ argumenta, ex Verbo Dei tam scripto quam non scripto atque ex ratione petita, tam sunt efficacia, ut nullus Catholicorum videatur posse refragari nostræ assertioni, uti etiam nullus, quod scio, refragatur. Nam neque Catholicissima Gallia, quæ utique non plus adversatur Pontificis auctoritati, quam Propositiones Parisienses (nunc iterum revocata ab ipsis Gallis) à communi sententia videntur recedere per
Ccc 3 quar-

quartam suam propositionem, qua dicunt, *Pontificis extra Concilium definiti judicium non esse irreformabile, nisi Ecclesie consensus accesserit*: quia non requirunt consensum Ecclesie per Concilium Generale, sed modo accedat consensus & acceptatio Ecclesie, sive intra sive extra Concilium. Verum quia tamen & hoc præjudicat Pontificie auctoritati, ideo

9. Dico 3. Papa ex Cathedra loquens est infallibilis independentem à consensu Ecclesie, vel intra vel extra Concilium dando. Adeoque decreta fidei & morum, à Pontifice extra Concilium facta, habent vim suam ante acceptationem & assensum Ecclesie, ita ut omnes teneantur credere definita, & parere ejus legibus justis. Probatum 1. fere iisdem argumentis, quibus assertiones duæ præcedentes. Et utique officium Pastoris est ovibus designare pascua, & eas huc vel illuc ducere independentem ab earum judicio & beneplacito. Et Petro dictum est, ut *confirmet fratres*, non ut confirmetur ab ipsis: ergo Papæ sententia non est roboranda judicio fidelium. Prob. 2. specialiter sic. Si sententia Papæ primum redditur infallibilis & irrefragabilis accedente consensu Ecclesie, tunc Papa nihil habet speciale ab alijs Episcopis, imò à privatis Doctoribus; cum etiam horum sententia evadat infallibilis conspirante in eam tota Ecclesia: Atqui Papa debet habere ab his aliquid speciale; cum pro ipso rogaverit Christus, ut non deficiat fides ejus, penes ipsum sit confirmare fratres, super ipsum ædificata Ecclesia &c. Et cum ex communi Ec-

clesie sensu, & praxi perpetua, sententia Pontificis præ alijs omnibus fuerit attentata.

Hoc tamen fateor, quòd consensus Ecclesie subsequens serviat ad hoc, ut quòd ad nos magis constet, Papam ex Cathedra esse locutum.

10. Petes, an Papa sit speciatim infallibilis. 1. quando approbat aliquem Ordinem Religiosum. 2. quando Sanctis vel Beatis adscribit aliquem hominem. 3. censuram afficit aliquam sententiam? R. ad 1. cum communi Theologorum affirmativè. Ratio est, quia Pontifex approbans Ordinem Religiosum proponit toti Ecclesie aliquod vitæ genus tanquam honestum, pium, & sanctum: ergo tale vitæ genus necessariò est honestum, pium, & sanctum; aliàs enim deciperet Ecclesiam in re magni momenti, ad salutem animarum & ad mores pertinente: quod fieri nequit. Ad 2. iterum annuo. Ratio est, quia Pontifex aliquem declarando pro Sancto aut Beato proponit illum toti Ecclesie colendum, quia vult, aut saltem permittit, ut in illius honorem offeratur Sacrificium Missæ (quod offertur nomine totius Ecclesie) ut publicè invocetur tanquam Dei amicus in celo existens & noster Patronus, ut erigatur ipsi statua, altare &c. Ergo necessariò est Dei amicus, qui à nobis rectè colatur, & invocetur tanquam Patronus, in celo existens. Aliàs tota Ecclesia turpissimè erraret, & quidem non minus, ac si per errorem judicaret, diabolum rectè coli & invocari tanquam Amicum Dei in celo existentem (quid enim interest inter diabolum & hominem

nem damnatum?) quod absurdissimum foret, & utique impossibile. Ad 3. Responso rursus est affirmativa. Aliquod tamen discrimen faciendum est inter propositiones, quas censurâ afficit Pontifex. Aliquas enim damnat ut *hereticas*, & tales utique hereticæ sunt, quia virtualiter definit, earum contradictorias esse de fide: sed juxta dicta Pontifex, etiam extra Concilium, circa res fidei est infallibilis. Alias autem proscribit tanquam *heresi proximas, sapientis heresim, erroneas, errori proximas, male sonantes, piarum aurium offensivas, temerarias, scandalosus, blasphemus, impius &c.* Et ista pariter dignæ sunt tali censurâ; si enim in his censuris erraret Papa. Tanquam Doctor publicus & Universalis cum ipso erraret tota Ecclesia, utpote obligata ad amplectendam ejus doctrinam, & quidem in rebus circa honestatem & inhonestatem actionum humanarum, circa usum Sacramentorum &c. nam circa hujusmodi versari solent propositiones, quæ censurantur, qui error non leviter repugnet puritati & sanctitati Ecclesiæ: ergo contingere non potest.

11. Sed quæres ulterius, quam certum sit, Papam extra Concilium definientem & docentem, in suis decretis infallibilem esse? R. 1. Secundum ea, quæ hactenus disputavimus, probabilissimum esse, quod fide Divina certum, & credibile sit, eum *in declarandis & proponendis rebus fidei* infallibilem esse etiam extra Concilium; quia allatis argumentis probabilissimum, imò moraliter certum redditur, id esse reve-

latum. Cum verò nulla exstet aperta & clara Ecclesiæ definitio, certum absolute non est, id esse de fide. Ex Bellarm. & alijs deducitur, id esse *ferè de fide, & contrarium sentientes de temeritate excusari non posse.* Alij sententiam oppositam esse ajunt inter illas, quæ non sunt probabiles, sed *præcise tolerantur* ad cavendum majus malum. Alij gravioribus censuris afficiunt. R. 2. in alijs rebus v. g. *in approbandis Religiosis Ordinibus, in canonizandis & beatificandis Sanctis, in ferendis censuris propositionum* (quando eas damnat ut *hereticas*) loquendum est juxta jam datam responzionem, Pontificem, extra Concilium pronuntiantem, pariter esse infallibilem, tanquam certum de fide putant aliqui, alij tamen fidei proximum, alij p̄e credendum, alij tam certum, ut oppositum judicent esse erroneum &c. De certitudine igitur, an scilicet fide Divina, an tantum moraliter certum sit, aut quomodo, de infallibilitate Pontificis extra Concilium pronuntiantis, non convenit inter Auctores Catholicos. In hoc tamen satis conspirant, quod oppositum non sit probabile; cum, etiamsi quidam oppositum docuerint, eorum tamen opinio à cæteris per solidissima argumenta ita enervetur, ut non sit probabilis. Quando verò accedit consensus Ecclesiæ vel in vel extra Concilium, tum fide Divina certum est apud omnes Catholicos, Papam non errare posse in iebus fidei.

Dico 4. Papa, etiam extra Concilium Generale loquens ex Cathedra, est legitimus Judex controversiarum in rebus

rebus fidei & morum. Sequitur hæc assertio clarissimè ex dictis, & probatur 1. Judex legitimus controversiarum fidei est ille, qui habet dotes requisitas, inter quas præcipuè sunt summa potestas jurisdictionis Ecclesiasticæ, & infallibilitatis: sed has habet Papa, etiam extra Concilium Generale, ut ostensum est: ergo. Prob. 2. Ad Petrum (consequenter ad omnes ejus in Pontificatu Successores, cum Christus Ecclesiæ suæ consulere debuerit & voluerit non per 25. annos tantum, sed in perpetuum) dictum est: *quodcumque li-*

gaveris, &c. quodcumque solveris &c. ergo sine exceptione potest omnes nodos solvere rerum dubiarum, peccatorum, pœnarum &c. Item: *pasce oves meas.* scilicet scientiâ & doctrinâ Jerem. 3. hoc enim modo pascuntur oves rationales. Prob. 3. ex continua Ecclesiæ praxi, *cui repugnare insolentissima insania est*, teste S. August. ep. 118. Nam in omnibus sæculis exorta dubia leguntur esse terminata judicio Romani Pontificis sæpissime extra Concilium Generale.

Solvuntur Objectiones.

13. Objiciunt 1. Lutherani, pro domo sua, hoc est, libertate, ut ajunt, Evangelica decertantes. Christiani non possunt adstringi mandatis hominum, & Legibus humanis; *ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3. *Non sumus Ancilla filij, sed Libera, qua libertate (Christus nos liberavit.* Gal. 4. *Nolite iterum jugo servitutis contineri.* Gal. 5. *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi.* Coloss. 2. Ergo Papa, utpote homo, non habet potestatem ferendi Leges v. g. de discrimine ciborum, observatione festorum &c.

R. Libertas Christiana & Evangelica minimè consistit in liberatione ab omnibus præceptis Præpositorum nostrorum; imò Christus per Paulum præcipit expressè obedientiam ipsis præstandam: *obedite Præpositis vestris,* Hebr.

13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* Rom. 13. Sed

consistit in liberatione à peccato, & à servitute Legum ceremonialium & judicialium (quæ erant propriæ Veteri Testamento partim tanquam Umbra & Figura Novi, partim tanquam propriæ regimini & statui populi Israëlitiæ) à quibus nos Christus liberavit, & mutato statu voluit mutari etiam præcepta. Unde non est obligatio apud Catholicos abstinendi à cibis certis diebus, celebrandi certa festa &c. quia hæc vel similia erant præscripta in Veteri Lege, sed quia visum est Ecclesiæ iterum quædam præcipere in Lege Gratia, sicut jam ipsi Apostoli Act. 15. præceperunt de novo; ne Christiani comederent de suffocato, & sanguine. Neque abstinemus à certis cibis, quasi illi per se sint immundi, sed quia à legitima potestate certo die ex justis causis prohibiti.

Urgent: Leges Papistarum sunt plurimæ & difficillimæ: ergo si istis obligantur Christiani, nihil profuit ipsis liberari

à jugo importabili Veteris Testamenti.
 2. Solus Deus, qui intuetur corda hominum, potest obligare homines in conscientia, tum quia solus cognoscit transgressiones occultas, tum quia solus potest infligere proportionatam poenam, & aeternam damnare. Ergo Papa neminem potest obligare in conscientia. R. ad 1. N. A. sunt enim paucissimæ, & facillimæ illæ Leges, quibus Christiani adstringuntur, & serè istæ quatuor duntaxat, *seruare certa festa, certa jejunia, confiteri semel in anno, & in Paschate S. Communionem sumere.* Cætera, quæ in Jure Canonico habentur, aut in totius Conciliorum, vel sunt admonitiones & instructiones piæ, non obligantes sub peccato, vel obligantes solummodo certos homines, & sub conditione, qui v. g. volunt admitti ad Sacros Ordines, vel sunt Regulæ Ecclesiasticis Judicibus præscriptæ, vel sunt Censuræ, vel explicationes dogmatum &c. Dein etiam pauca illæ leges, quæ in conscientia obligant omnes Christianos, sunt longè mitiores, quàm præcepta Veteris Testamenti; quia Ecclesia tanquam pia Mater ex rationabili causa facillè dispensat. Accedit, quòd non sint tam nova præcepta, quàm determinationes Legis Divinæ; nam Lege Divina tenemur temporibus quibusdam vacare cultui Divino, castigare corpus, confiteri peccata, & sumere Corpus Domini. Ecclesia verò modum duntaxat & tempus determinavit, quibus ista fieri debeant. Quare si aliquid in his 4. Legibus Ecclesiæ reperiretur onus grave, illud potius tribuendum esset Legi Divinæ. Ubi

R. P. Pichler Theol. Polemica;

igitur tyrannis Papæ, quam toties ogganiunt hæretici? Ad 2. Solus quidem Deus *ex se & natura sua* habet potestatem in conscientiam hominis; homo tamen, Dei Vicarius & Minister, habet potestatem *participatam* eatenus, quatenus à Deo accepit potestatem ferendi leges. Unde etiam si homo non videat corda hominum, nec per se infligere possit poenam aeternæ damnationis, Deus tamen hæc scit & potest, qui vindicat transgressiones legum per suos Vicarios latarum, & quos ligat Petri potestas *in terris, ligatum esse voluit coram se in caelis.* Mat. 16. *Qui vos spernit, me spernit &c.* Luc. 10.

Instant. Decisiones Papæ sunt Leges humanæ: sed Leges humanæ non obligant, nisi acceptentur à subditis: ergo ut decisiones Papæ obligent tanquam infallibiles, debent prius acceptari: ergo sine consensu Ecclesiæ non sunt firmæ. Confirmatur: Decreta etiam Concilij Tridentini non omnia sunt ubique acceptata, uti in Gallia, atque ideo in his locis non obligant: ergo à fortiori idem dicendum est de Decretis Papæ extra Concilium. R. 1. D. M. Decisiones Papæ in rebus ad fidem pertinentibus sunt Leges humanæ. N. M. in rebus ad mores pertinentibus C. M. Decreta fidei à Pontifice facta non sunt propriè dictæ Leges & præcepta, sed potiùs declaratio quadam Divinæ locutionis, per quam nobis infallibiliter innotescit, Deum hoc vel illud revelasse: quæ notitiâ semel habitâ non amplius est in nostro arbitrio, ut illud credamus vel non credamus, sed Jure Naturali ac Divino mox obligantur

D d d

gantur

gantur omnes ad assensum firmissimum veritati, taliter à Deo revelata, præstandum. Unde etiam si decreta & decisiones fidei vocarentur Leges, non tamen possent vocari Leges *Humanae*, nec in arbitrio Ecclesiae est, assentiri vel non assentiri, quia Jure Naturali ac Divino obligantur omnes credere veritates à Deo revelatas, postquam sufficienter constat de earum revelatione.

R. 2. Transmissa M. Si loquatur de decisionibus & decretis morum. D. m. Leges humanae, Civiles, & Politicae, non obligant ante acceptationem subditorum T. m. Ecclesiasticae seu Canonicae. N. m. de his enim longè probabilius est, ut ostendit Suarez l. 4. de Legibus a. 16. quòd obligent, antequam acceptentur à subditis, & quòd subditi illas teneantur acceptare, supposito, quòd sint iusta. R. 3. Eandem difficultatem habent Adversarij in decretis morum ab integro Concilio factis; eodem enim jure possum dicere, ea vim obligandi non habere, donec acceptentur à reliquis fidelibus, qui Concilio non interfuerunt; quòd difficile est admittere. Ad confirmationem dico, decreta Concilij Tridentini ad Fidem pertinentia statim ubique gentium fuisse acceptata, & debuisse necessariò acceptari ab omnibus fidelibus propter rationem superius allatam, etiam in Gallia, licet non omnia decreta ad Mores pertinentia fuerint ibidem statim acceptata, & completè obligaverint: quòd indè factum est, quia vel ipsum Concilium noluit uti absoluta potestate obligandi omnes omnino fideles ad hæc Morum decreta recipienda, sed ex

gravibus causis aliquam libertatem quibusdam permisit, vel quia initio quaedam culpabiliter non fuerunt acceptata, nec in usum deducta, successu tamen temporis per consuetudinem à Pontifice toleratam fuerunt omnino exclusa, & sic nunquam obtinuerunt vim obligandi completam, & in actu 2. Quo modo etiam Leges, semel receptæ, iterum abrogari possunt.

Ob. 2. Qui agit liberè, potest errare, quia est indifferens ad bonum & malum: sed Pontifex definiens agit liberè: ergo, 2. omnis homo est mendax, seu potens mentiri & fallere. 3. Si Papa ex Cathedra loquens non posset errare, fieret perpetuum miraculum: sed hoc admitti non potest: ergo.

R. Ad 1. Pontifex, ex Cathedra loquens, est quidem liber quoad exercitium, non tamen quoad specificationem actus, hoc est, eam habet libertatem, ut possit aliquid definire vel non definire, non autem, ut hoc vel illud, verum vel falsum definiat; sed supposito, quòd definire aliquid velit, definire falsum non potest propter assistentiam Spiritus S. Ad 2. Papa definiens, seu ex Cathedra loquens, manet quidem homo, sed tamen à Spiritu S. ita dirigitur, ut errare, & errando totam Ecclesiam decipere non possit. Ad 3. Quæro, quid intelligas nomine Miraculi? Si nihil aliud intelligas, quàm rem Naturæ totius vires superantem, verum dicis, sed nihil novi, quia hoc miraculum quotidianum est in pluribus rebus v. g. in justificatione peccatoris, administratione Sacramentorum, sacrificio Missæ &c. Nempe Ecclesia

conservatur & regitur supernaturaliter, sicut fundata est supernaturaliter. Si verò nomine Miraculi intelligas rem non tantum Naturæ viribus superiorem, verum etiam majorem, quam Ecclesia, taliter à DEO constituta, & elevata, exigat, falsum dicit; quia fit connaturaliter, hoc est, juxta exigentiam Ecclesiæ taliter à DEO constituta, & tantis promissionibus munita. Si placet distinguere *Majorem*, dic fieri perpetuum miraculum in ordine Naturæ, hoc est, ultra exigentiam Naturæ C. Ma. in ordine gratiæ, hoc est, ultra exigentiam Ecclesiæ taliter constituta N. Ma. sicut miraculum in ordine gratiæ non censetur, si peccator agat penitentiam, licet eam agere ex Naturæ viribus nequeat, & sine gratia supernaturali, quæ gratia, utpote promissa, quia datur ordinariè omnibus, DEO cooperantibus, non censetur esse miraculum in ordine gratiæ.

17. Ob. 3. Potest Papa cadere in alia peccata simonia, superbiæ, avaritiæ, luxuriæ &c. ergo etiam in hæresim. 2. Petrus gravissimè erravit in fide, dum Christum negavit: ergo & Papa, ejus successor, errare potest in fide: ergo infallibilis non est in rebus fidei. R. ad 1. Aliud est Papam cadere in hæresim, aliud ex Cathedra docere hæresim. Illud transmittit, licet multi negent cum Bellarm. istud nego fieri posse. Caterùm Christus non rogavit pro humilitate, justitia, castitate &c. sed pro fide Petri, ne in hac deficeret. Oportet ergo publicam Doctrinam esse incorruptam, licet fides privata Pontificis, & mores possint esse corrupti.
- R. P. Pichler Theol. Polemicæ.

sint esse mali. Ad 2. Petrus negando Christum non erravit in fide, quia internam semper retinuit, sed solum defecit in Christiana fortitudine, qua tenebatur fidem internam etiam exteriùs profiteri. Multò minùs hunc privatum errorem docuit ex Cathedra. Imò tunc nondum erat Pontifex, quia Pontificatum consecutus est primùm post Resurrectionem Christi Jo. 21. licet tunc jam fuerit ipsi promissus Mat. 16.

Ob. 4. In illo textu, *pascite oves meas* Jo. 21. non intelligitur solus Petrus, sed etiam ceteri Apostoli, horumque successores Episcopi quicumque: ergo vel omnes Episcopi sunt infallibiles, quod falsum est, vel neque Episcopus Romanus, Successor D. Petri. R. N. Ant. aliàs Christus debuisset dicere *pascite*, non *pascite*, quia ceteri Apostoli erant etiam presentes: & quæso cur Christus per trinam interrogationem exploravit, & petijt majorem dilectionem sui in Petro, *Simon Joannis diligis me plus his*, nisi speciale quid, & plus quam ceteris, conferre voluisset. Deinde quanta foret confusio, si æqualis potestas omnibus Apostolis in omnes Christi oves ibi concessa fuisset? Certè nunquam æqualem cum Episcopo Romano potestatem sibi tribuere ausi sunt ceteri Episcopi.

Ob. 5. Pontifices Romani extra Concilium Generale sæpius errarunt: ergo non sunt infallibiles. Ant. Prob. adducendo complures eorum errores. 2. Sæpius sibi contradixerunt: ergo aliquos errasse necesse est. 3. Ipsum & falsi sunt.

D d d 2

sunt, se non omnia posse, quæ fieri possunt per Concilium Generale. Sic Innocentius III. Philippo petenti, ut sibi liceret cum uxore divortium facere, ita respondit: *Si super hoc absque Generalis deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter Divinam offensam, & mundanam infamiam, forsan Ordinis, & Officii vobis periculum immineret.*

R. Ad 1. N. Ant. vel Dist. errârunt in moribus C. Ant. in rebus fidei, subditi ut homines privati, transeat (incertum enim & hoc est) ut Doctores Ecclesiæ, desinientes vel ex Cathedra loquentes N. Ant. Si quando videantur errâsse ex Cathedra loquentes, error est imperitorum, aut malitia malevolorum, qui aut non intelligunt decreta Pontificum, aut perverse interpretantur. Ad 2. N. iterum Ant. quamvis enim in Jure Canonico aliqua primo aspectu videantur pugnare inter se, si tamen matura consideratione & respectu affectione malevola in Sedem Apostolicam ritè penetrentur, optimè contordare deprehenduntur, & nulum errâsse Pontificem ex Cathedra pronuntiantem, ut nôrunt egregij Canonista, qui Jura conciliârunt Juribus. Ad 3. Innocentius III. per illud dictum non agnovit majorem auctoritatem (nisi humanam tantum) in Concilio Generali, sed præcisè voluit indicare gravitatem negotij: sicut, si Rex aliquis dicat, se non posse rem hanc facere sine suorum Senatorum consultatione, propterea in Senatoribus suis non agnoscit majorem auctoritatem quam in se. Ceterum Pontifex Romanus non potest immutare facta in

Concilio legitimo decreta fidei, neque decreta morum ad Jus Naturale vel Divinum pertinentia; licet absolutè possit immutare ea, quæ sunt Juris humani Ecclesiastici.

Ob. 6. ex Jure Canonico, in quo 10. plures reperiuntur errores Pontificum, extra Concilia aliquid statuentium. Nam Nicolaus I. docuit, in nomine Christi collatum Baptismum valere sine expressione trium personarum *c. a quodam de Consecrat. d. 4.* Gregorius III. ob infirmitatem uxoris permisit marito aliam ducere *c. proposuisti causa. 32. q. 7.* Alexander III. statuit, ad valorem Testamenti sufficere duos testes, & consuetudinem, qua plures quam tres requiruntur testes, damnat velut à Divina Lege alienam. *c. cum esses 10. de Testam.* Innocentius III. existimavit, Christianos adhuc obligari Lege Mosaica. *c. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Cælestinus III. sentit, Matrimonium dissolvi per hæresim alterius Conjugis. *c. quanto de divortijs.* Alexander III. jam supra memoratus dicit, suos Antecessores asseruisse, Matrimonium Ratum posse dirimi Matrimonio Consummato. *c. licet de sponsa duorum.* Ad hæc objecta ex SS. Canonibus desumpta respondet unica responsione Eug. Lomb. in Regal. Sacerdotis l. 3. §. 9. n. 14. dicens, hos Pontifices fuisse locutos ut Doctores privatos, & non docentes ex Cathedra, adeoque fuisse errores Personales, non Cathedrales. Verùm hoc modo infringi multùm videtur efficacia nostrorū argumentorū, quæ ex SS. Canonibus de proximis contra Adversarios; possunt enim id ipsum nobis reponere. Potest quidem hæc

responsio sapius dari, & quidem optimè, non tamen semper, quando textus è Concilij vel Jure Canonico afferuntur; quia in his Pontifices sæpe loquuntur ex Cathedra, nisi ex circumstantijs possit colligi oppositum. Itaque melius ad singula

R. *Nicolaus I.* non definiuit, quòd Baptismus, in nomine solius Christi collatus, sit validus; cum de hoc non fuerit interrogatus; interrogatus enim tantum est, an Baptismus, à Pagano vel Judæo collatus, sit validus, & verum Sacramentum. Ad hoc quæsitum cum responderet affirmativè, obiter addidit: *sive in nomine totius Trinitatis sive in nomine solius Christi consecratur.* Adeoque *Nicolaus* ibi nihil definiuit de Forma Baptismi, sed solum de Ministro: non autem negamus, Pontificem errare posse in alijs rebus, quas non definit, sed tantum incidenter dicit. Accedit, quòd sententiã admittens valorem Baptismi in nomine solius Christi expressè, & in nomine Trinitatis solum implicite collati, fuerit etiam *S. Ambrosij*, *Beda*, & *D. Bernardi*; & quòd quidem falsa & nunc practicè sit improbabilis, non tamen hæretica; quia nullibi ut talis est damnata. *Gregorius III.* loquitur de impotentia perpetua, orta ex infirmitate mulieris, & quidem antecedente Matrimonium: quæ impotentia utiq; dirimit Matrimonium. *Alexandri III.* constitutio de duobus tantum vel tribus testibus ad valorem Testamenti sufficientibus locum duntaxat habet in territorio temporali Papæ, respectu totius Orbis verò solum in Testamentis ad pias causas factis; nam

à Lege Divina alienum est, motientium libertatem ita coarctare, ut absque illa solemnitate septem testium, quos requirit ad Testamenta Jus Civile, nequeant testari vel legare ad pias causas. In profanis rebus non habet Pontifex potestatem condendi Leges Civiles, totum Orbem obligantes. Si verò Testamentum fiat ad causas pias, potius observandum est Jus Canonicum, quam Civile; quia ejusmodi Testamenta extrahuntur quasi à foro Civili, cum spectent salutem animæ & finem supernaturalem. Dum autem Pontifex addidit, quòd sit alienum à Lege Divina, addidit tanquam rationem suæ constitutionis: atqui in his, uti diximus supra, potest Pontifex errare in assignandis rationibus & motivis suarum definitionum, quæ suam infallibilitatem non ab illis, sed à Spiritu S. assistentia nanciscuntur. Deinde si eò alienum sumatur in sensu mitiori, uti facile potest, ita ut non significet Legi Divinæ contrarium, sed extraneum. h. e. non contra Legem Divinam, sed præter illam ab hominibus introductum, nihil erroris continet. *Innocentius III.* allegavit quidem Leges Veteris Testamenti, non tamen ut præceptivas, & adhuc obligatorias, sed tantum ut exemplares, seu tanquam ideas, ad quarum similitudinem sapienter etiam in novo Testamento instituta quædam sunt, & observanda: quæ proinde obligant, non quia sunt Leges Mosaicæ, sed quia Leges Christianæ. Adde, quòd memorati Pontifices Veteris Testamenti leges solum adducant tanquam rationem suarum decisionum. *Celestinus III.* non

definit, sed privata opinione tantum judicavit, Matrimonium dissolvi per alterutrum conjugis lapsum in haesim, ut colligitur *ex cit. c. quanto*, ubi Innoc. III. referens hanc Caelestini sententiam dicit, Praedecessorem suum aliter *sensisse*, se tamen *non credere*, quod Matrimonium tali casu dissolyatur. Ex quibus verbis colligitur, neutrum ex his Pontificibus hac de re aliquid definit, sed solum suam opinionem proposuisse. Circa Pontifices, admittentes Matrimonium Ratum dissolvi per aliud Consummatum, est fere eadem responsio: nimirum *ita senserunt*, & Alexander III. illos referens *aliter sensit*, nullus tamen definit.

21. Ob. 7. Pontifices sibi saepe contradixerunt: ergo aliquos errasse necesse est. A. prob. 1. Innocentius IV. docuit, formas Sacramentorum fuisse inventas & ordinatas ab Ecclesia. Contrarium definit Eugenius IV. 2. Stephanus II. definit valere Baptismum in vino collatum in casu necessitatis. Contrarium rursus definit Eugenius IV. in Responsis ad consulta Bulgarorum. 3. Innocentius III. *in c. quanto de divorcijs* statuit, quod uno conjugum ad haesim transeunte possit alter, in fide remanens, transire ad secunda vota, seu ad alteras nuptias. Contrarium statuit Caelestinus III. *c. laudabilem de conversione infidelium*. 4. Pelagus fecit constitutionem, ut omnes Subdiaconi Siciliae abstinerent a suis uxoribus, quas in Minoribus duxerant, aut ab officio cessarent. Hanc constitutionem, quia

erat iniqua & contra Evangelium, retractavit Gregorius I. ejus Successor.

R. N. Ant. vel, si sibi contradixerunt, id non factum est in rebus fidei, nec a Pontificibus ex Cathedra docentibus. In probationibus, quas affert Dupinus Gallus, ubique hallucinatur vel decipit. Ad 1. Innoc. IV. *in c. Presbyter de Sacramentis non iterandis*, quod citat Dupinus, expressè dicit, quod Presbyter & Diaconus ordinentur per manus impositionem, tactu corporali factam, *juxta ritum ab Apostolis introductum*. Minime autem dicit, quod Formae Sacramentorum sunt ab Ecclesia introductae. Hoc tamen verum est, quod, ubi Christus non determinavit materiam & formam Sacramentorum in specie, sed solum in genere, adeoque in arbitrio Ecclesiae reliquit determinationem in specie, Ecclesia possit certam materiam vel formam praescribere. v. g. Christus pro materia Sacramenti Ordinis instituit signum sensibile, significativum potestatis consecrandi Corpus Christi, & pro forma instituit verba illi materiae accommodata, nulla autem certa determinando in specie. Tali casu potest & debet Ecclesia determinare certum signum, certa verba, ritum & modum administrandi hoc vel illud Sacramentum. At hoc non est materiam & formas Sacramentorum invenire, aut a Christo institutas mutare, sed illas, a Christo in genere praescriptas, determinare in specie. Hoc docet communis sententia Catholicorum, hoc docuit Innocentius, & sic minime contradixit Eugenio, vel Eugenius illi.

Ad 2. Falsò affingitur Stephano II. quòd definiyerit, valere Baptismum in vino collatum; sed cum interrogaretur de Sacerdote, qui in casu necessitatis baptizaverat vino, in ordine ad illum puniendum, respondit: si in eo casu necessitatis aqua non fuit præsens, excusari imperitum illum Sacerdotem posse per ignorantiam, quia per errorem putabat, Baptismum talem infanti prodesse; si autem aqua fuit præsens, hunc Presbyterum esse excommunicandum, quia *contra Canonum sententiam agere præsumpsit*. Quæ verba expressè habentur in epistola Stephani incorrupta, ut exstat apud Philippum Labæi ad annum 754. Per verba illa epistolæ: *infantes permanent in Baptismo*, non voluit, ut talis infans permaneat in Baptismo ejusmodi irritò, sed in valido, quem supponit interea fuisse adhibitum.

Ad 3. Innocentius III. non dicit, quòd, si Matrimonium semel fuerit contractum *inter fideles*, & alter labatur vel in hæresim, vel omnino ad gentilitatem transeat, innocens possit convolare ad secundas nuptias, sed contrarium; eò quòd tale Matrimonium, inter fideles contractum, sit Sacramentum & indissolubile propter significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia. Sed hoc statuit, quòd, si Matrimonium inter *infideles*, hoc est, *non baptizatos*, contractum fuerit, & unus convertatur ad fidem Catholicam, alter autem in gentilitate permaneat, nulloque modo cohabitare velit cum conjugè converso, vel non nisi cum injuria Creatoris, pertrahere conando con-

jugem conversum ad peccatum mortale, possit conversus ad secunda vota transire juxta illud Pauli: *si infidelis discedit, discedat &c.* Sed in hac constitutione non est contrarius Cælestino III. qui ibi longè aliud statuit, nempe impedimentum criminis in eos, qui machinantur in mortem infidelis, ut cum Parte conversa possint inire Matrimonium, etiamsi intuitu hujus Matrimonij ad fidem Catholicam accedant.

Ad 4. Fateor, constitutionem Pelagij circa Clericos Siciliae fuisse revocata à Gregorio; sed quid tum? nunquid etiam Leges Ceremoniales Antiquæ Legis sunt revocatae & extincta à Christo per novam Legem Gratiæ? an propterea Deus sibi contradixit, aut Leges Ceremoniales non fuerunt justæ? haud sanè. Sic potest unus Pontifex aliquid laudabiliter statuere ex justa causa, alius laudabiliter iterum tollere tale statutum etiam ex justa causa, scilicet propter circumstantias, vel prius non perfecte cognitatas, vel postea mutatas &c. Sic Pelagius justè prohibuit Subdiaconis Siciliae usum uxorum propter mundiciam, quam requirit Ministerium Divinum, & decencia suadet. At quia hæc Lex Gregorio videbatur *dura* consideratis circumstantijs & fragilitate illorum Clericorum Siciliae, eam revocavit, non tamen *iniquam* dixit, ut illam turpi errore vocat Glossa & Dupinus cum Almoino, multò minus *Evangelio contrariam*.

Ob. 8. Stephanus VII. (juxta alios VI.) irrita declaravit acta Formosi, tanquam non legitimi Papæ, & ab eo ordinatos

atos jussit iterum ordinari. Postea verò Joannes IX. contra Stephanum declaravit, Formosum fuisse legitimum Papam. Deinde Sergius III. contra Joannem iterum declaravit, Formosum non fuisse legitimum Papam: ergo vel Joannes approbando, vel Stephanus & Sergius improbando acta Formosi tanquam non veri Pontificis errarunt.

R. Cum Bellarm. Formosum, licet ante suum Pontificatum fuerit degradatus per Joannem VIII. fuisse verum prius Episcopum, Cardinalem, & postea legitimum Pontificem, & ideo ejus acta, collatosque Sacros Ordines valuisse. Proinde errarunt Stephanus & Sergius, non quidem errore juris, sed facti, malò exemplò, non falsà doct-

rinà; cum non desinierint, acta & Ordines SS. collatos ab Episcopo degradato, esse nullos (quod fuisset error juris & doctrinæ) sed tantum jussierint denovo ordinari ex privatis odijs erga Formosum (quod fuit error facti & malum exemplum) gravissimè enim peccarunt non sine scandalo his suis perverfis passionibus indulgendo, præsertim Stephanus, qui barbara crudelitate etiam exhumari jussit corpus sepulchrum Formosi, & contumelijs affectum in Tyberim projici. Inde tamen cum esset extractum, atque delatum in Ecclesiam S. Petri, Sanctorum effigies dicuntur sua capita inclinasse huic suo novo Inquilino in signum reverentiæ.

COROLLARIUM.

De Analyfi, seu ultima resolutione Fidei.

Sciendum, fidem Divinam (seu actum fidei vera supernaturalis, Divinæ, & salvificæ) debere esse firmissimam tam objective quàm subjective; hoc est, debere niti objecto formali seu motivo infallibili infallibiliter cognito, ita ut credens prudenter sibi imperet assensum firmissimum rebus obscuris à DEO revelatis præstandum, paratus pati potius aut negare omnia, quàm talem veritatem fidei inficiari, cui tam firmiter assentitur ex imperio voluntatis, ut excludat omnem voluntariam formidinem de opposito, & quidem prudenter, nempe ex merito motivi infallibilis infallibiliter applicati & cog-

niti. Atque hæc certa sunt apud omnes rerum peritos, Sectarios æquè ac Orthodoxos; cum utique actus fidei Divinæ, qua creditur Deo revelanti, debeat esse *firmissimus* simul & *prudens*. Quæstio igitur solum est, an Catholici potius, quàm Protestantes & Sectarij, habeant & nitantur ultimato hujusmodi motivo infallibiliter cognito, seu revelatione, & Verbo Divino, articulos suæ fidei revelante, ut tam de revelatione infallibiliter certi sint, quàm de suis articulis revelatis, adeò ut omnem dubitationem ac formidinem prudenter excludere possint, imò debeant.

Dico,